

MORBI A GLUTINOSO
SPONTANEO.

69. **G**lutinosum pingue ex vegetabilibus habet causas antecedentes, 1. farinosa cruda, austera immatura. 2. inopiam boni sanguinis. 3. debilitatem vasorum, viscerum, bilis. 4. imminutum motum animale. 5. dissipationem liquidioris per laxata vasa fecernentia. 6. retentionem erassioris debilitate instrumentorum excernentium.

70. Nascitur primo in prima officina digestionis, hinc in sanguine, dein in reliquis, inde derivandis, liquidis.

71. In primis viis facit prostratum appetitum; repletionis sensum; nauseam, vomitum; ingesti cruditatem; bilis inertiam, ejus inviscationem & consumptionem; pituitate stomachicæ & intestinalis ortum; alvum tardam & tumentem, impedimenta chyli parandi, perficiendi, fecernendi.

72. In sanguine visciditatem, pallorem, immeabilitatem; in vasis obstructions, concretiones, urinam pallidam vix olentem; salivam lentam; tumorem album; impeditas secretiones; defectum subtiliorum; sic minimorum canalium coalitum facit.

73. Hinc coctiones, circuitus, secretiones, excretiones, motus vitales, naturales, animales, omnes perturbantur, unde suffocatio, mors.

74. Ex his (69. 70. 71. 72. 73.) diagnosis, prognosis, anamnesis mali hujus patet, nec vero, sanatio quid indicet, obscurum est.

75. Quae obtinebitur, 1. usu cibi potusque bene fermentati, sale, & aromate conditi. 2. Jusculis volatilium animalium. 3. roboratione vasorum & viscerum. 4. aucto motu 5. medicamentis diluentibus, resolventibus, stimulantibus, biliosis, faponaceis. 6. frictu, calore, balneo, vesicatoriis. Caeterum interiora corporis obsidentur glutinosis, vel spissis, caseosis, mucosis, mucilaginosi, lemosis, ceraceis, pultaceis, amurcosis, calculosis, tartareis, serosis inflammatis, polyposis, meliceratis, steatomatosis, atheromatosis densis, scirrhis concretis. Cavendum religiose, ne perturbetur glutinosum beneficum, naturale, lubricans, inungens, defendens, quod oculis, palpebris, naso, ori, faucibus, gulae, ventriculo, intestinis, pelvi, ureteribus, vesicae, urethrae, vaginis mucilaginosi tendinum, articulorum commissuris, laryngi, arteriae asperae, bronchiis, datum

B 2

in

In usus necessarios, cum glutinoso morbofo. Quod fatali idiotarum, & medicastro-
rum, errore nimis crebrum.

MORBI EX ALCALINO
SPONTANEO.

76. **N**onnullae plantae scatent materia,
quae sponte corrupta non ac-
scit, nec coit, sed resolvitur in foetidum
volatile, pingue Alkali: tales omnes fere
Aromaticae valde acres. Has vero raro
assumunt tanta copia, ut morbum creent
ex suo ingenio. Sin autem id contigerit,
pertinebit ad acre alcali oleosum.

77. Ex animalium partibus confecta no-
stra liquida varia sunt: 1. pro varietate a-
limenti, quo se sustinent, 2. pro varietate
partis, quae assumitur.

78. Animalia enim, quae herbis & a-
qua aluntur, chylum acidum, vel facile
acescentem, adeoque & tale lac, habent;
quod in nobis suam sequens indolem ve-
getabili nutrimento simillima patrat. Vid.
(61 ad 76.) & lentam materiem caseo
presso similem in primis viis creat; quae
singularis hic visceris species.

79. Quae aliis nutriuntur animalibus,
omnes succos facile alcaliscentes habent.

80. Si alimenta, vi nostri corporis,
(58.)